





1711, 31<sup>a</sup>

11  
16

**CHRISTIANI WILDVOGELII,**  
JCTI,

CONSILIARII SAXO - ISENACENSIS INTIMI  
ET ANTECESSORIS  
COLLEGI JURID. h. t. DECANI,

DE

**VELO LEVATO,**

*ad Leg. V. C. d. naufrag.*

**PROGRAMMA INAUGURALE**

P. P.

*d. XIII. Decemb. A. C. MDCC XI.*


---

J E N Æ,

LITERIS MULLERIANIS.

*John Gottlob Olearius*





Vdices rei, de qua agitur, qualita-  
tem plena inquisitione discutere,  
& tunc utramque partem sapius  
interrogare oportere, num quid  
novi addere desideret, Constanti-  
nus Imperator, cognomine Ma-  
gnus, gravissime jubet in *l. 9. C. d.  
judic.* Hanc a Triboniano interpo-  
latam & in pauca contractam legem integro sermone in  
Codice Theodosiano his verbis legere licet: *Judicantem  
oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discu-  
tere, interrogandi & proponendi adjiciendique patientia prebita  
ab eo; ut ibi actio partium limitata sit, contentiones, non occur-  
su judicis, sed satietate altercantium metas compresserint, sepius  
requiratur & crebra interrogatione judicis frequentetur, num quid  
novi resideat, quod annecti allegationibus in judiciaria conventionem  
conveniat.* Scilicet exquisitam controversæ causæ cogni-  
tionem judicibus injungit Imperator, ne vel oscitanter au-  
diant partes, vel nimis ad pronuntiandam sententiam  
properent, sed diligenti investigatione ea rimentur, in  
quibus cardo rei vertitur, eumque in finem ipsimet per-  
interrogationes crebras facti veritatem perscrutentur.  
Digna hæc imperatoria constitutio visa fuit Gratiano, De-  
cretorum confarcinatori, quæ collectioni suæ canonum,  
suppresso quamvis autoris nomine, nec non immutatis  
ac additis quibusdam verbis, infereretur, prout apparet  
*EX CAN. Judicantem. II. CAN. 30. QU. 5.* Num vero augustissi-  
mus

mus hic Princeps id à iudicibus requirat, ut totum ordinem iudicarium, seu formam, ut vocant, procedendi legibus præscriptam, in audiendis decidendisve, controversiis curate observent, dubium reddi posset ex eo, quod eidem Imperatori una cum Licinio A. in omnibus rebus præcipuam iustitiæ æquitatisve, quam stricti juris rationem haberi debere, placeat *l. 2. c. d. t. d. jud.* Et sane negandum non est, per superfluas actionis forensis subtilitates iustitiam sæpius depravari, imo everti magis, quam adjuvari, ut hinc partibus litigantibus melius longe prospiciatur, si absque circuitu inani ipsarum causæ & cognoscantur & decidentur. Verum enim vero, non omnem penitus formam procedendi in iudicio negligendam esse, ipsa ratio naturalis dicitur, ne videlicet confusio oriatur, aut præcipitancia, qua noverca iustitiæ vocari consuevit, ipsum iudicem fallat. Solent hinc iurium Doctores processus, quem dicunt iudicarii partes dividere in essentielles & accidentales, quarum priores, cum ipso natura iurè exigente ad rationem actus requirantur, sine nullitatis vitio omitti nequeunt; secus ac posteriores. Quid igitur est, quod Honorius & Theodosius AA. in *l. 5 C. de naufrag.* decernunt, quando *de submersis navibus LEVATO VELO causas cognoscere* jubent? Et quidem admodum proverbiorum factam esse hanc locutionem, quilibet facile cognoscit: unde vero originem trahat, non cuiusvis forte est obvium. In generali namque significato *Velum* partem navis denotat, qua hæc ventorum flatu protruditur: vel etiam tegumentum, quo res absconditur, ne à quovis videri possit. Hinc *velare* idem est ac *tegere*. Ex quo vestium quoddam genus ad caput cooperiendum *Veli* nomen accepit, & jam in prisca ecclesia virginibus, ne ab omnibus conspicerentur, utque pudicitiam suam melius defenderent, inunctum, imprimis vero monialibus religionem ingredientibus usitatum. Idque quadrifariam iure canonico dividitur, ut aliud sit *velum conversionis* feti

probationis, in susceptione habitus regularis ante professionem datum: aliud *professionis*, virginibus & viduis non nisi post XXV annos exhibendum, *can. 15. caus. 20. qu. 1.* aliud *consecrationis*, aliud *continentia & observationis*, viduis proprium. *can. 34. caus. 27. q. 1.* Vocatur id etiam *Velamen*, *cap. 4. qui cler. voc.* Porro jure nostro civili *Vela* appellantur, quæ in ædibus vel umbræ gratia, vel arcendi frigoris ventique excludendi causa obtendebantur, eaque ædium partes non esse, Ulpianus ait in *l. 17. §. 4. d. act. emt.* adeoque tegari posse, idem decidit, in *l. 41. §. 10. d. leg. 1.* nec sub instrumento domus contineri, scribit in *l. 12. §. 16. d. instr. leg.* nisi sint Cilicia, i. e. ideo parata, ne ædificia vento vel pluvia laborent, *d. l. §. 17.* atque contra eum, qui tale velum in menianum immittit, quod alterius luminibus officeret, utile interdictum: ne quid in loco publico fiat, competere, laudatus modo Jctus docet in *l. 2. §. 7. ne quid in loc. publ.* Sed & insignia Cæsarum *velorum regionum* nomine veniebant, atque domibus & prædiis Principum, imponebantur, ac propterea, ne privatus in prædiis suis vel alienis talia suspendat, sub comminatione ultimi supplicii & deportationis prohibetur, in *l. 2. C. ut nem. privat. titul. præd. suis impon.* qua de re pluribus agit Alciat. *Parerg. lib. 5. cap. 11. & 15.* Deinde per metaphoram *Velum*, nec non *Velamentum* haud raro in legibus pro colore seu pretextu falso, ut & *velandi* verbum, pro eo quod est fucum facere aut dissimulare, ponitur, veluti quando Imp. in *l. 14. C. d. contr. empt.* gravem injuriam esse dicunt, quæ inani honestatis colore *velatur*, ut homines de rebus suis facere aliquid cogantur invito: & in *l. 1. C. Th. d. cond. in horr. publ.* amona vetustate corrupta ex nova portione misceri præcipitur, ut ejus adjectione *corruptio velata* damnum fisco non faciat. Eodem plane sensu Imp. in *l. 14. C. Th. d. haer. rec.* illos, qui clericatus *velamine* religioni maculam infligere conantur, omnino propellere jubent: & in comparatione transvectioneve specierum, omne privilegii *velamen-*

um cessare faciunt. Verum, ut ad verba textus supra-  
 citati redeamus, annotant ad illum communiter Inter-  
 pretes, in judiciis secretariorum aditus seu vestibula non  
 tantum velis, sed etiam trans vela cancellis septa,  
 ipsasque confistorii fores velis prætensas, intraque vela  
 Comitēs & consilii participes fuisse admissos, satellites  
 vero intra cancellos & vela ferme substituisse, atque sic, uti  
 velarii à velis, ita Cancellarios à cancellis nomen accepisse.  
 In causis quoque gravioribus & præcipue criminalibus,  
 quæve amplio rem deliberationem exigent, vela obtendi  
 consuevisse, ut ita iudices à conspectu litigantium & reli-  
 qui vulgi separarentur. Jac. Gothofr. *Com. ad l. ult. C. Th. de  
 naufrag.* Quo pertinet illud Chrysostomi, quod legitur in  
*homil. 5. cap. 2. ad Timoth. Latrones, quando in carcere vivunt,  
 absque metu degunt, ubi vero ad VELVM sisti coeperint, solvuntur  
 metu.* Ex quo insimul intelligi potest, quid sibi velint Imp-  
 quando in *l. i. C. Th. de offic. Recl. prov.* scribunt: *Non sit venia-  
 le JUDICIS VELVM, non ingressus redeunti, non infame licitati-  
 nibus secretariorum, non visio ipsa præsidis cum pretio.* Cum igitur  
 præmemorati Principes in *cit. l. 5. C. de naufr.* de submersis  
 navibus iudices LEVATO VELO cognoscere mandant,  
 id censetur innuere, patentibus iudicii seu secretarii fo-  
 ribus, nullo obice aut impedimento interjecto, & citra  
 fastidium apparitorum, qui ingredienti in secretarium  
 admittebant, actores statim audiri debere. Id quod illu-  
 stratur Lampridii in Severo verbis, dum ait: *Cum amicis tantè  
 familiariter vixit, ut salutarior patente velo, admissionalibus re-  
 motis, aut solis iis, qui ministri ad fores fiorent.* Nec non ex Se-  
 necæ epist. 80 scribentis; *Non crepuit subinde ostium, non alle-  
 vabatur velum.* Alii è contrario, hanc Imperatorum esse sen-  
 tentiam, contendunt, quod absque cognitione causæ  
 longiori, relictis omnibus ambagibus fori, res tractari &  
 terminari debeat: adeoque LEVATO VELO idem esse  
 autumant, ac quod alias *de plano procedere* dicitur, Erasmi  
 in *Cibiliad. Tit. judicandi recte*: quando sc. iudex solennitates  
 juris

IOHANNES GOTTFRIEDUS 332



juris civilis relaxat, & saltem ea, quæ juris sunt gentium, observat, adeoque summariter procedit. Brunnem. *Com. ad d. l. 5. in fin.* Et hæc quidem sententia per id etiam stabili videretur, quod legis istius labores biennii metis cognitionem harum de naufragio causarum incluserint, eoque tempore elapso, navicularium absolvi, judicem vero ob negligentia sua vitium, mediam oneris ejus partem inferre voluerint. Recte omnino, Nihil enim magis cognitorem, quo nomine judex venit hac lege, quam ut causas, quæ moram non ferunt, inprimis pauperum & miserabilium personarum, celerrime, post habitis superfluis solennitatibus definiat, manuque regia jurgii finem imponat, tum quoque facilem se in admittendis implorantibus præbeat, levatoque velo desideria cujusvis rite percipiat.

Cum igitur doctrina & ingenio præstantissimus legalis scientiæ Candidatus

**IOANNES GOTTLIEB OLEARIVS,**

ARTIVM MAGISTER ET AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICUM  
ADIVNCTVS MERITISSIMVS

aditum ad demonstrandos profectus suos, quos assiduo hæctenus labore in arte juris sibi comparavit, egregios, a nobis petierit, apertis foris eundem admittere, januamque ad honores academicos eidem aperire nulli dubitavimus, insimulque ortum Ejus honestissimum, tum quoque eximias virtutes & studia pluribus in locis exculta, more in academiis recepto, paucis delibare consultum duximus. Natales ipsius sibi vendicat HALA HERMVNDVORVM, Salinis non magis, quam omnis elegantia cultu laudata, ingeniorumque nobilium inprimis fecunda: in quibus & Noster, anno M DC LXXXIV in lucem hæc editus, numerari meretur. Genus ipse paternum, maximorum Theologiae antistitum nominibus atque meritis, tot annorum decursu memorabile, a celeberrimo nostri avi Theologo ducit, IOANNE GOTTFREDO OLE.





OLEARIO, tum sacrorum apud Halenses præcone verbi  
 divini primario, circuliq; ut vocant, Salani Inspector  
 gravissimo, post vero ecclesiarum Arnstadiensium Præsu-  
 le, ac mysteriorum cœlestium administratore præcipuo,  
 itemque sanctioris synœdrii adfessore, earumque provin-  
 ciarum ephoro, immortale apud posteros nomen adepto.  
 Maternæ familiæ decus, in his regionibus haudquaquam  
 obscurum, ab ELEONORA SOPHIA STVZINGIA re-  
 petit, Consulis Halensis filia, ornamentis femineis floren-  
 tissima. A prima statim ætate, sicut religionis, ita artium li-  
 beralium succo imbutus, neque magistris solum domesti-  
 cis, sed lycei quoque *Arnstadiensis* Rectori clarissimo, IO-  
 ANNI FRIDRICO TREIBERO, aliisque adolescentiæ  
 formatoribus eo rerum suarum successu in disciplinam est  
 datus, ut nihil non liberale atque honestum suis promiserit  
 atque studia ad academicas curas idonea anno MDCCI.  
 in illustrem *Leucorem* afferret. Ibi oratorum atque histori-  
 corum suæ ætatis principem, SAMVELEM CONRADVM  
 SCHVRTZLEISCHIVM, & successorem ejus ac fratrem  
 dignissimum, HENRICVM LEONARDVM SCHVRTZ-  
 LEISCHIVM, sicut eloquentiæ, ita omnis historiæ ter-  
 rarumque dimetiendarum præcepta tradentes, principio  
 statim veneratus est. Morum vero doctrinam a ROEREN-  
 SEIO, tanquam doctore ejus dexterrimo, hausit; cum-  
 que mathematicorum, logicorumque & metaphysicorum  
 sanctis, professorum æque insignium, STRAVCHII, PLA-  
 NERI atque SCHROEERI auspiciis copulavit, & præter-  
 ea naturalis scientiæ & physiologiæ amenissima, à celeber-  
 rimis viris, VATERO atque BRENDELIO explicatæ ac-  
 cessione ornavit. Postea sanctioris studii rationes non mi-  
 nus sapienter inivit, Theologosque egregios, DEVTSCH-  
 MANNVM, HANNEKENIVM, LOESCHERVM, NEV-  
 MANNVM, WERNSDORFIVM sibi adjunxit. Ne vero  
 studiorum suorum tam feliciter atque graviter quadri-  
 enio integro excultorum fructu careret, anno MDCC V.  
 Magistri philosophi lauream, applaudentibus omnibus, ca-

pes-

pessiuit, susceptaque saepius disputandi provincia, haud vul-  
 gare huic titulo ornamentum vicissim conciliavit. Tanto  
 bonarum disciplinarum instructu ad *Helmstadiensium* acade-  
 miam anno MDCCVI se contulit, praclarissima hujus A-  
 thenæi lumina, SCHMIDIOS, NIEMEIEROS, FABRICI-  
 OS, HARDTIOS atque alios, quos frequenter consuluit,  
 admiratus. Mox in patriam, parentis jamjam cœcuentis  
 aliorumque antistitum vices sacris concionibus obiturus,  
 iter reflexit, quæque Vitebergensium atque Helmstadiensi-  
 um ore imbiberat, in succum sanguinemve convertit. Post  
 hæc Athenæum hocce *Jenense* in oculis erat, summe reve-  
 rendos purioris religionis interpretes, FOERTSCHIVM  
 pariter ac BVDDEVVM, auscultaturus. Quod ita præstitit,  
 ut ipse etiam scholas aperiret frequentes, & divinæ juxta  
 ac humanæ sapientiæ opibus auditores suos collocupleta-  
 ret, & argumenta doctissima *de Vanino: Pomponatio: de Luthe-  
 ro ex Juris Studio, Theologo & Zieglero Theologiae Cultore, 7 Cto: de Variis atheos confutandi methodis: disputationis incudi subji-  
 ceret, atque Bibliothecam Scriptorum Ecclesiasticorum T. II. divul-  
 garet, aditumque adeo sibi ad dignitatem Adjuncti Philosophi*  
 anno MDCCX. obtentam communiret. Jam pridem est ve-  
 ro, quod regiam Noster justæ ac æqui scientiam non mino-  
 ri affectu ac studio prosequendam putavit, ad quam scili-  
 cet arcano quasi instructu rapiebatur. Hactenus vero ani-  
 mum magis serio ad hoc institutum applicuit, meum non-  
 minus, quam STRVVIVM amborum, jurisprudentiæ  
 magistrorum excellentissimorum, & affinitatis vinculo ipsi  
 junctorum, ductum atque doctrinam secutus, ejusque rei  
 fructum hodie consecutus, ut, quem modeste expetiit, & quo in ex-  
 aminibus dignum sese exhibuit, locum inter Candidatos jurium  
 nobilissimos obtinuerit. Die igitur crastina, hora X. lectionem,  
 quam vocant, cursoriam in Legem *Milites. 15. C. d. testam. milit.* so-  
 lemniter habebiturus. Quam Jurisconsultorum panegyrim, ut Pro-  
 Rector magnificus, Comites illustrissimi, Proceres aulæ atque aca-  
 demicæ excellentissimi, & quicumque studia academica amant atq;  
 ornant, sua consuetudine præsentia velint, ea, qua par est, ratione  
 concendo. P. P. sub facult. sigillo. d. XIII. Decemb. A. M. DCC. XI.

(L.S.)

ULB Halle  
006 519 679


3



Vol 13







1711,31<sup>a</sup>

11  
16

**CHRISTIANI WILDVOGELII,**  
JCTI,

CONSILIARII SAXO - ISENACENSIS INTIMI  
ET ANTECESSORIS  
COLLEGII JVRID. h. t. DECANI,

DE

**VELO LEVATO,**

*ad Leg. V. C. d. naufrag.*

**PROGRAMMA INAUGVRALE**

P. P.

*d. XIII. Decemb. A. C. M DCC XI.*

J E N Æ,

LITERIS MVLLERIANIS.

*Joh. Gottl. Olearius*

